



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Bavo Conf. 1. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

portâ D. Eucharius, pro alterâ D. Maximinus, pro totâ urbe medius NICE-
TIVS excubat. Quid? quod Christus
è turri conspicuus spectacula fecit NI-
CETIO, & in scenam omnes ordine
Gallorum reges produxit. Quid spe-
ctatorem tunc fecisse NICEATIVM
credis? ego uti in Tragicocomœdiâ fieri
assolet, nunc risum, nunc lacrimas cre-
do dedisse. *Ex Surio.*

S. B A V O C O N F. 1. OCTobris.

Aliam aulam B A V O cum conju-
ge, aliam hâc demortuâ habitavit.
Illa talis erat, qualem vetus nobilitas
& è principe Francorum sanguine ori-
go commendabat; hæc qualem calum
laudat, quercus primò cava, mox cella
hoc augustior quò angustior. Sed si il-
lam priorem plures homines, hanc ul-
timam plures Angeli frequentarunt.
Auriga verò, qui ad hujus ædificium
lapides convehebat, quas diras B A
V O N I imprecatus est, ipse sensit, cum
à dæmone ex equo, à rotis equorumq;
calcibus vitâ ejectus est. Sed B A V O
ut sanctè se vindicaret, vitam reddidit.
Interea evenit ut in servulum offende-
ret, quem olim in alienam servitutem
vendiderat. Veniam igitur oraturus
supplex dominus mancipii pedes pre-
hendit. Nec prius expiatâ hanc noxam
credidit, quàm domini tergum serviles
manus

manus virgis immaniter lacerassent. Addidit alterum ipse supplicium compedes, quibus lubens volens libertatem sibi ademit. Ita ligatus vicit tamen quoties cum dæmone fuit (& sæpè fuit) pugnandum. Victorem coronavit crux celo delapsa, & caput multo splendore ambiens, quam ille ita salutavit: *Agnosco gloriosa militie mea signa.* Morienti Angeli, imò Christus præsto fuit. Certè suprema verba **BAVONIS** illa feruntur: *Christo adventanti quid nisi obviam exis anima? Ex Surio.*

B. FRANCISCVS BORGIA C.

1. Octobris.

Non prius **FRANCISCVS** patrem naut matrè quàm **IESVM** & **MARIAM** balbutiens salutavit. Puer vel facientem vel dicentem Sacerdotem, æmulatus est. Iuvenis gynæceum non nisi cilicio armatus adit, reputans se toties hosti loqui, quoties fœminæ. Iam **Gandiæ Dux** & **Gothalanæ Prorex**, pervetustum familiæ morem annum patronum fortiendi in menstruum vertit, eumque in Societatem postea, & Marianos cœtus invexit; ipse tunc patroni die pauperes mensæ suæ minister adhibuit. At verò cum illud formæ miraculum (**Isabellam Augustam**) in Sandapilâ attentius considerasset, honorum titulos ut certissima

M m 3 mor